UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri Disertissimi, Opera quæ exstant omnia

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

Iacobi Sadoleti Epist. Ad. Pavlvm Sadoletvm Lib.

urn:nbn:de:hbz:466:1-69244

Visual Library

prȩſentia potes. Nam cùm de tuo ingenio, doctrina, probita ſingulare iudicium ſemper feci: tum te habui proximum, qu æquè penè atque illum ipſum diligerem. Præterea te mihi ſtrictum fide & promiſſo eſſe arbitror: Diſceſſiſti enim a n me concedente & permittente, cùm Patauium es profectus lege & conditione, vt ſimul atq; inclamaſſem, opusq; eſſe d ſem, reuolaturum te reciperes. Quare cùm tui accerſendi temp venerit: egoque te non vocem ſolùm, verùm flagitem etiam que expetam: tuarum nunc partium eſt, tuique etiam pudoris eius ingenij, quod optimum in te cognitum & perſpectum m eſt: non ſolùm operam dare, vt reſtituas te nobis: ſed vt confeſti & ſine vlla mora reſtituas. In quo ipſe volo tibi perſuadeas, me non modò in conſuetudinis & familiaritatis conſortium, in omnis fortunæ, tum dubiæ, tum ſecundæ, ſocietatem voca Has ego cùm ſciberem literas, cupiebam vehementer tibi citò reddi: vt tu primo quoq; tempore, quid de hac re ſtatuiſ haberes, facere me poſſes certiorem. Si enim tua conſilia ( quod opto & ſpero) cum expectatione mea conſenſerint, ad ſtatim te parabis. Sin autem fortè ( quod vix fas eſſe arbitror lieno fueris à noſtra voluntate animo, noſſe aueo tamen, idq quamprimùm, conſilium omne tuum: vt ſi mihi prȩciſa ſpes adventus fuerit, alium alicubi quæram, qui mihi & ad manum ad curarum communicationem prȩſtò ſit: quem tamen neq alium, quàm te eſſe velim: & potiſſimum omnium te fore con do atq; augurot. Vale, & reſcribe. Ex Feliciano noſtræ diœc ſeos, XVI. Calend. Septemb. M.D.XLI.

*FINIS LIBRI DECIMISEXTI.*

---

# IACOBI SADOLETI EPIST.

## AD PAVLVM SADOLETVM Lib. Epiſt. I.

### IAC. SADOLETVS EPISC. CARP. *Paulo Sadoleto S. P. D.*

ALTERAS has ad te ſcribo literas, prouocatus tuis, quas Viglania proficiſcens dediſti. Nam cùm primas meas ſcriptas II. Cal. Octob. ad 8. item Cal. Auenione miſiſſem, vt celerius illinc ad te perferrentur: poſtridie veſperi redditæ mihi ſunt tuæ: in quibus mihi illud periucundum, quod te aſperiorem itineris tui partem ſine detrimento vllo emenſum eſſe cognoui. Et quidem cùm hæc ſcriberem, in illam opinionem coniectura ducebar, vt te putarem iam veniſſe

Mutinam: erat enim ſextus hic dies & decimus tui diſceſſus: vt etiam ſi diem vnum Mediolani, alterum Parmę ponere inſtituiſſes, commodum tibi tamen fuerit eò peruenire. Ego verò non ſolùm proſperum & fortunatum tibi iter, ſed facile etiam & expeditum imprimis cupio: ſi rediturus es ad nos, mea etiam cauſa: ſin id minus, vtique tua, quod tamen ipſum mea maximè intereſt. Nihil enim eſt tuum, quod pro paterna mea erga te indulgentia, mihi non meis omnibus aliquantò coniunctius ſit. Sed quoniam Mutinarum iam mentio facta eſt, tametſi ego in accuratione diligentiaque tua magnam ſpem habeo rectè à te omnia & circumſpectè geſtum iri: nihilq; te prętermiſſurũ eius officij, quod ad nos pertineat: tamen vellem tibi ἐμφατικώτερον mandaſſe, quod ad Ferrarienſem ducem attinet. Quem cùm tantùm & colamus & diligamus, quantum illius dignitas, & erga nos beneuolentia poſtulat: tamen enim non mediocrem illi profectò debemus gratiam, quòd is animum ſuũ erga nos, ſignis & rebus iam multis patefecit. Quem ego ipſum nunc abs te, nec conueniri tuo commodo, nec præteriri ſuo officio poſſe video. Quare etſi hæc in me non iam ſuo tempore incidit cogitatio, me tamen illa ſolicitum vehementer habet. Quòd niſi (vt dixi) in tua prudentia huius quoque rectè obeundi muneris ſpem maximam ponerem, penderem animi multò magis: ſed me ipſe conſolor, quòd tibi conſueſſe hæc venire in mentem certò ſcio. Negotia Mutinenſia quòd tibi cæteris difficiliora ob animum verſari ſcribis, non video cauſam cur ita eſſe debeat. Facilis enim eſt negotiorum gerendorum ratio, iis qui fideliter illa atq; integrè tractant. Quòd ſi aliqui ſunt aliquando, qui rationi bonæ recuſent aſſentiri, in ipſis culpa reſidet: τὸ δὲ καλὸν μετά σε, cuius tibi potiſſima ſemper ſit cogitatio. De rebus noſtris hîc nihil eſt ſanè noui, quod cupias ſcire: res in eodem ſtatu ſunt, quo reliquiſti. Nos victus totam rationem domi commutauimus: compulſi enim grauibus periculoſiſque ægritudinibus, cœna abſtinemus, cui ſolebamus libentiùs indulgere: ad prandia ſumus conuerſi: idq́; facimus palam, tricliniumq; ſterni in maiore aula iubemus. Quod ſentimus familiæ noſtræ eſſe gratum: celebratur enim domus, & ſimul abſentiæ tuæ mœror hac ratione etiam magis lenitur. Conuiuæ aſſidui Veronius, & Auguſtinus, aliiq́; præterea quos interdum ſors obtulit. Quà habemus materiem ſat bellam hilariùs nos habendi. Medicus eſt quidam ſubrufus, breuis ſtatura, oculis diſiectis, quem tu noſſe fortaſſis potes, haud enim ita diu eſt quòd ſe contulit in hanc vrbem: de eo mihi cùm eſſet dictum, acutum hominem eſſe & Philoſophum, iuſſi ad prandium vocari. Aderat Stephanus Sauli, & cum eo cæteri ordinis illius noſtri (vt tute ſcis) in diſputationibus concertatores: Iſnardus nobiſcum vnà. Laceſſiui ho-

minem, cùm ſe excitaſſet: Ruffus noſter ſuſcipit negotium. Diutiùs ducta contẽtio eſt. Ego ſpectator attentus: quid enim dicam auditor, cùm omnis nõ audiendi, ſed ſpectandi fuerit voluptas? Quanquam ille quidem in diſſerendo & argumentando nõ imperitè ſe habuit: ſed corporis vultus, oculorũ eiuſmodi agitatio, vt nihil videatur ridiculoſius poſſe reperiri. Itaq; hominem ſæpe vocaturus ſum. Nam quod ad valetudinem attinet, videor aliquid nonnihil hoc nouo more, mihiq; inſolito, eſſe cõſecutus. Vrget enim minùs, & caput non tam infeſtum habeo quàm anteà. Verùm de his dies ipſa exploratiùs iudicatura eſt. Nunc ades ad reliquum rendum. Recordor enim in mandatis hoc tibi à me vel præcipuè fuiſſe datum, vt magiſtrum huic Iuuentuti erudiendæ quæreres. In qua te obteſtor Paule, vt laboris & diligentiæ reliquum nihil facias, quo noſtri optati compotes nos efficiamur. Nihil eſt hac curatione neque honeſtius nobis, nec ciuibus noſtris vtilius. Quorum quidem cauſa cùm cupiamus omnia, cur non in hoc potiſſimùm officij honeſtiſſimo genere, omnibus neruis contendamus, vt & illis, & nobis ipſis ſatisfiat? Anteà caſtigare illos ſolebamus, quòd ad ſuum tantum bonum minùs eſſent attenti: nunc viciſſim illi me appellant, atque vrgent: neque dies ferè vllus eſt, quin ad me accedant eorum aliqui rogatum. Quibus reſpondeo, tibi ſuſceptam eſſe hanc prouinciam: neque quieturum, quoad idoneum repereris: cum hac ſpe dimitto illos. Et ſi quæris, maximo eos ſtudio in hac re ferri video. Proinde enitere atque elabora, vt talem aliquem inuenias, qualem nos cupere noſti: hoc mihi gratius facere nil potes. Plana hodie à legato reuerſus, multam mihi ſalutem illius verbis nunciauit: eaque mihi de eo retulit, quæ certè mihi iucunda ſunt: perbellè illum valere, gratiſſimumque habuiſſe, quod ego illi iuſſiſſem nuntiari: ſi qua in re tua in Vrbe opera vti vellet, te ei & ſtudio omni & beneuolentia præſtò futurum. Egit gratias: nil ſe de noſtro animo dubitare dixit: vſurum cùm res poſceret, affirmauit, & quod intelligere facilè queas, habuit certè gratum. Atque ego hoc egeram dedita opera, vt ſuſpicionibus nonnullis occurrerem, de quibus ad te ſcripſi Crucianum meeum locutũ fuiſſe, & tamen ſimplici animo ac ſyncero omnia à me geruntur. Quid enim minus homine ingenuo dignum, quàm aliud in corde gerere, aliud habere promptum in lingua? Sequamur igitur vera recta que conſilia, à quibus deflectere nullam in partem poſſumus. De rebus vrbanis (vt antè ad te ſcripſi) tunc & quærendum mihi abs te, & ibi præcipiendum putabo, cùm te Romam peruenisse cognoro. Nunc, vt ſe res habet, illa cogitatione ſuperſedendum eſt. Mutinenſia acta expectabo interim, quæ in manibus ſunt: cætera vt dies afferet, & fortuna diſpenſabit, ſic mihi deinceps

[illegible]

opus literis facias nota. Nos hîc fructibus annuis condendis, non parum laboris moleſtiæque ſuſcipimus, è quibus decumæ vini vſque eò fuêre vberes, vt eas nullæ neque cellæ neque apothecæ capere potuerint. Itaque neceſſe eſt, lacus eos ipſos, in quibus muſta ferbuerunt, doliorum inſtar adhibere: quibus à ſummo munitis compactis aſſeribus, & ad omnem introitum externi aeris probè obſtructis, confidunt iſta qui norunt, vinum incolume nos ſeruaturos. Ego hæc non tam quidem intelligo, quàm quæ peculiaris mea curatio eſt. Hortos ſuburbanos ita pulchrè habeo inſtructos omni huiuſmodi copia, vt optimè proſpectum in æſtatem proximam ſit: ad quod tempus te expectabimus: &, niſi erit maior iſthic manendi cauſa, etiam accerſemus. Vale mi Paule, & ſi nos diligis, valetudinem tuam cura diligenter. Florebello noſtro & cæteris ſalutem. VI. Cal. Octob. M. D. XXXV. Carpentoracti.

II.

AD EVNDEM.

LATINVS Iuuenalis, homo & ingenio & rerum vſu pręſtans, mihi iam inde ab adoleſcentia notus, hàc iter facieñ Aueniouem verſus, rerũ illarũ quæ ad eccleſiam Auenionenſem ſpectãt confirmandarum gratia legatus à Pontifice: mecũ erat plurib. de rebus collocutus, de quibus aliis literis ſcriptum eſt à me tibi perdiligenter. Verùm cùm is tum à me diſceſſiſſet, tanquam alio itinere rediturus ad vrbem, neq; me amplius viſurus: nihilominus mutata ſententia, heri veſperi huc ſe retulit, amanterq; eſt à me hoſpitio acceptus. Sumus enim perdiu iam familiares. Cogitabat autem ipſe hodie cum prima luce proficiſci, (nam hæc ego ſcribebam ante lucem) & cum eo aderat Raymũdus Vitalis noſter. Has ei literas daturus ſum ad te perferendas, quas cùm acceperis, fac vt conuenias hominem, eumq; tibi in amicitia adiungas: probũ enim virum, & integrum, & magni animi, & bonorum amantem, fautoremq; cognoſces. Plura ad te ſcribam cùm tuas aliquando accepero quas auidè expecto; neque enim citeriores iis habebam, quas ad Tarum dediſti. Vale.

III.

AD EVNDEM.

LITERAS tuas pridie Nonas Nouembr. veſperi, & ipſis Nonis poſtridie manè, cùm in prandio iam diſcubuiſſem, eſſentque mecum vnà Cæſariſta, Cuſanus, Oppeda, Vellarenus, multiiuges accepi, & Florentiæ, & Viterbij, & in ipſa vrbe iam bis datas:



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

quarum ſum mirifica cura & copia delectatus. Ac primùm illud gaudeo, te itinere toto acto ex ſententia, incolumem ipſum ac cæteros Romam perueniſſe: ibíque fuiſſe acceptum vt maximè volebamus. Sed quoniam mihi ad omnia reſcribendum eſt, ſeruabo ordinem, vt priorib. prius reſpondeam. Quod ergo ad negotia Mutinenſia pertinet, matrem & fratres mihi commodè valere, peroptatum mihi eſt: teque ab illis amanter fuiſſe acceptum. De ære alieno matris fratriſque demortui, habeo iam rationem atque conſilium quo illos expedire ab omni difficultate poſſim: quare audacter promitto, eam rem vt rectè agatur fore tibi curæ: annuo enim ab vtroque noſtrum ſpatio ſumpto, quod in tempus facultas ſoluendi cadere nobis poſſit, aureos trecentos numerabimus. Puerum quidem ipſum penes me habere cupio, ſi eſt talis, vt ſpes de eo nobis eſſe poſſit, in eum virum euaſurum, quem quærimus, & quod de fratre tuo iam confidere cœpimus, facilè nobis ductu futurum, vt fingamus in eo formam illam, quæ ſit maximè ad decus & ad dignitatem idonea. Doctorem huic iuuentuti & magiſtrum ab te quæri non puto fore amplius opus. Narrabo enim tibi, ſimulque tu agnoſces, quanto plus ſæpe fortuna polleat, quàm hominis conſilium. Receperam me forte in bibliothecam nudius quartus, cùm eſſet iam nox: ibíque attentius libros quoſdam voluebam: cum cubicularius nuntiat, eſſe qui me conuentum velit. Rogo quis homo? Togatus inquit. Iubeo intromitti. Accedit. Interrogo quid ſibi velit, quia illa hora adeat ad me. (cupiebam enim abſoluere ocyus hominem, & ad ſtudia me referre.) Tũ ille repetito altius principio, ita aptè mecum, ita accuratè & modeſtè locutus eſt, vt mihi curam iniecerit cognoſcendi interius, & percunctandi. Itaque clauſo libro, ad eum totus conuerſus, ſciſcitari incipio, cuius ſit, quam diſciplinam profiteatur, quid ſibi quærens in has regiones venerit. Ac ille: Scotus ſum, inquit. Ex vltimáne, inquam, orbis terræ natione? Etiam. Vbi ergo diſciplinis liberalibus operam dediſti? (quod ideo interrogaui, quia eius ſermo & Latinitatem, & ingenium redolebat.) In patria primum inquit, complureis annos philoſophiæ operam dedi: deinde Lutetiæ ſum eruditus, ibíque Eboracenſis Card. fratris filiũ in diſciplina mea habui. Pòſt cùm patrui mors à puero illo me diſtraxiſſet, ad Bellaium Pariſienſem Epiſc. me contuli, eramque cum illo Romam profecturus, niſi morbus me grauis in itinere ab eo diſiunxiſſet. Quid ergo tibi hîc expetis? inquam. Cupiditas, inquit primùm tui viſendi, quod maximè optabam, huc me compulit. Deinde cùm Auenione eſſet mihi dictum, te alicuius hominis indigere, qui iuuentutem tuam hanc erudiret, ſi fortè ego eſſem iſti negotio aptus, offerendum tibi ego me duxi: non tam onus illud appetens quidem, quàm tibi gratum facere ſtudens: &

ſimul

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſimul intelligens, fore mihi laudi quodcunque munus apud te, & monitu, hortatuque ſuſcepiſſem. Quid quæris? vſque eò mihi placuit, vt primo mane Glocerium conſulem, atque Heliam accerſerem: expoſui de homine quid ſperarem, & quæ mihi in eo egregiè complacita eſſent, omnia narraui. Certè enim eiuſmodi modeſtiam, prudentiam, compoſitionem oris atque vultus, vix in Italo homine talem expectare potueramus. Neque hoc contentus, ad prandium inuito, cùm Florentium ipſum, (hoc enim illi eſt nomen) tum medicum noſtrum, de quo ſcripſeram ad te antea, itemque Heliam vnà cum conſulibus. Poſt prandium, ſtatim diſputationes me cohortante inductæ ſunt: argumenta phyſices aſſumpta: certatum à medico noſtro acriter, obtorto vultu, magniſque anhelitibus. Ille alter, modeſtus, placidus, nihil non ad rem, nihil non accuratè & ſobriè, ſanè quam peritè omnia, & intelligenter. Quin cum ego concluſiſſem argumentum quoddam aduerſus medicum tortuoſum ac difficile, in quo erat enodando magnus illi labor: iſte petita venia, ſolutionem protulit quàm maximè fieri potuit doctè, atque accommodatè. Quid quæris? accenſi omnes deſiderio ſunt retinendi hominis, conſulesque eũ conduxerunt. Res pacta eſt aureis nummis centenis: tanta cum voluptate ciuium, ſicuti ego audio, vt omnes nouam quandam felicitatem huic vrbi eſſe exortam putent. Quin circunferuntur ſermones, quos cum conſulibus habuit, ita liberales atque ingenui, vt nil poſſit ſupra. Quamobrem ſpero huic negotio & munere optimè prouiſum fore: & ſpero adhuc, tamen nondum compertum habeo. Sed videbimus reliqua. Habet autem iſte, quod mihi maximè voluptati eſt, Græcarum etiam literarum quod pueris imbuendis ſis ſatis. Quocirca tu de eo ſine cura eſſe potes. Nimenſes ciues noſtros rectè habere ſe, tibique officia præſtitiſſe quæ in vtrunque noſtrum beneuolentiam ſignificarent, maximè lætor. Quæ ad Quirinales hortos pertinent, à me tibi miſſa, me ſcribente tibi iam accepta eſſe confido. Erat enim hic vndecimus dies, quo tabellarius qui attulit, diſceſſerat. Reſpondi literis Florentinis, nunc venio ad Romanos: in quibus hoc primum lætor, binas iam te ibidem meas accepiſſe. De Capiſucco gratiſſimum mihi eſt, & Romæ eum commorari, & habere locũ quem virtus eius meretur, quanquam non vt meretur quidem, etenim vir ſummis honoribus dignus: qui quod tui amantiſſimũ ſe oſtenderit, non eſt aliena illius naturæ & humanitati, hæc comitatis exercitatio. Eum ego maiorem in modum diligo, & diligam ſemper: ſummasque eius virtutes, atq; imprimis humanitatem illam qua ſingulari eſt præditus, omnibus meis officiis complectar. Eum tu meis verbis & ſalutes centies, & amplexere etiam nunc. Quòd Iudæorum mentionem intuliſti: in cauſa illa omnes

nunc laboramus : itaq; rogatus ſum à Delectis huius præfecturæ, quorum de numero ſunt qui heri mecum in prandio fuerunt, vt cum ijs vnà ad legatum accedam : quod libenter annui. Dies di-ctus eſt accedendi ab hoc die tertius, quò etiam propero magis, vt ad te antea ſcribam:ne negotio illo hęc opera diſtrahatur. Propter quam cauſam etiam habiturus es literas inaccuratas, atq; illepidè ſcriptas:non enim eſt otium deſcribendi. Sed vt de re: cùm eſſent conditiones Iudæis latæ à Delectis, quibus noua illorum iura reſtringebantur:easq; illi recuſaſſent: interuenit Latinus Iuuenalis, ad quem eſt aditum à noſtris, idq; meo conſilio: petitumque vt æquitatem conceſſionũ Iudaicarum inſpiceret, ad Pontificemq; referret. Nõ recuſauit laborẽ, vocauit Auenionẽ Iudęos: parteis ambas audiuit. Correxit ipſe nonnulla, quę nos heri propoſuimus Iudęis, interrogauimusq;, nũ illis ſtare animum induċturi eſſent. Tempus poſtularunt ad reſpondendum. Biduum datum eſt, vt perendie, qui dies erat futurus VI. Idus, mane reſponderent : decretumq; inter nos, vt reſponſo quocunq; habito, ad legatũ ſtatim proficiſceremur. Atq; hoc à nobis de induſtria factũ eſt, vt ſi repudiaſſent illas conditiones, Latinum inimicum ſibi redderent, cuius autoritatem tam parui feciſſent: quanquam intempeſtiuum nunc quidem eſt de Iudæis ſcribere. Amicum illum noſtrum nondum inueniſſe exitum reb. ſuis magnopere miror: eiusque actiones minimè probo, in quo tu quoque potes animaduertere Paule, quàm popularis hæc quæ videtur ſapientia, à vera viuendi ratione, veriſque prudentiæ conſilijs aliena ſit. Sed hæc miſſa. Ego verſor in ſtudijs languidius, & de gloria quidem aliquantum proceſſi : ſed neſcio quo pacto piger magis etiam ſum ad ſcribendum, quàm ſolebam: legendi voluptate ducor: ſumque reuerſus ad Ariſtotelis ſcripta, quæ quotidie mihi maiora, præclarioraque videntur. Procœmium de gloria miſeram tibi, quod poſtea mutaui aliquot locis, neque nunc vellem Saluiato lectum. Sed ego hoc confecto de gloria libro, optimum illum principem omnino ſum explicaturus, ſi impedimento nullo fuero tardatus? Cùm huc à me peruentum eſſet, ſuſtinui ſcripturam, ſi quid forte mihi in mentem venire poſſet, quod præterea eſſet ſcribendum. Interim conuertam animum ad literas Contareno ſcribendas, ſi & tempus & ingenium mihi ſuppeditaturum ſit: quod ſanè diffido. Ad Contarenum non ſuccedit quod ſcribo, quare in aliud tempus differamus: & ſanè ſum aliquantum μετέωρος, ſcriptio autem ad talem virum ab animo vacuo & ſoluto petenda eſt. Tandem confeci ad Contarenum literas, quas quoniam examinare, vt ſoleo, non poſſum, neque ingenium ad iudicandum attendere, tibi Florebelloq; permitto, vt niſi duxeritis idoneas, ne reddatis. Vale, & ſalue mi Paule: imprimisq; animaduerte, neque frequens



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tia ad primores acceſſio aliquam indignam nobis ambitionis ſuſpicionem excitet. Gallicis ſanè quidem illa moribus, quam Romanis eſt congruentior. Quocirca temperato tibi ab ea, & lõgiora ſpatia intermittito. Iterum vale. 8. & 7. Id. Nouembr.

## IV.

## AD EVNDEM.

CVm veniſſem Auenionem ad XV. Calen. Decemb. ob cauſam publicam aduerſus Iudæos illuc euocatus, protinus mihi ex equo deſcendenti, literas tuas Vitalis obtulit, 3. Non. Nou. ſcriptas, quas non mediocri cum voluptate legi. Delectabat autem me in illis cùm ſummi Pontificis de te opinio, tot iam ſignis iudicioque declarata, quam tibi & honori & ornamento fore confido: tum veterum amicorum noſtrorum, ſummorum hominum, erga me voluntas non ſolum non extincta diuturnitate noſtræ diſiunctionis, vt mihi ex literis tuis conſpexiſſe videor: verum etiam beneuolentior facta, poſtquam tu tuis officiis, tuaque diligentia acriores quodammodo faces illorum animis adhibuiſti. Sed præter omnia maximè mihi iucunditati fuit Contarenus: cuius epiſtola dici non poteſt quale de eo iudicium fecerim. Et verum exemplum mihi illa attulit humanitatis eius, probitatis, benignitatis, prudentiæ. Primum, quod ad me prior ipſe ſcripſit. Obſecro, hoc quãti? Deinde, quòd illo modo, quòd tam ingenuè, tam ſincerè, tam amanter ſcripſit: & cũ pro me omnia ſumma feciſſet, non tacuit etiã in literis: in quo me ſibi viſum ieiuniorẽ arbitratur. Crede mihi, amo hominem, & tanquam alterum me eſſe iudico, quando ita ſumus conſentientib. ſenſibus, vt ſimplicitatem illam, quam ego tãtopere amplector, & quam tibi amplectendam ſemper magnopere prædico, ambo eodem quaſi inducti ſpiritu, tenemus. Ac de magiſtro quidem lætor, & eum illũ nõ eſſe quem fueramus ſuſpicati, & de omnibus controuerſiis inter nos conuentum eſſe: quem iam diligere incipio, tuo imprimis teſtimonio adductus. Proinde, etſi ſtigmata adhuc in fronte gerimus eius dedecoris, quod mihi ab illo vel per illũ inuſtum eſt: facile tamen & libenter obliuiſcimur priſtini doloris, atque ad fraternam beneuolentiam animum noſtrum conuertimus. Ad Cõtarenũ reſcribo, cui cũ reddas meas literas, de meo in ipſum animo, deq; maximis obligationib. quib. illi ſum obſtrictus, tu quoque ea loquere, quæ ex mea fide & natura eſſe ſcis. Bellaio etiã agas meis verbis gratias: ipſiusq; erga nos voluntatẽ neq; vnquam mihi incognitam, & ſemper optatam atq; gratam oſtendes eſſe. Nam quod hortatur vt in Epiſt. ad Gal. commenter, ſatis tibi exponere non poſſum, quàm à ſcribendo nunc abhorreat animus,

etſi

etſi hoc fortaſſe breuis deſidiæ ſit. Verùm ſi ſcribendum maximè ſit, num tu ad ſacrarum rerum commentationes me hortare, quarum ſcriptio tot inſidiis & calumniis eſt infeſta? Illud me mordet, Pontifici te eſſe pollicitum: quanquam hoc fuerit bonitatis. Te autem exiſtimare, breui à me tempore elucubrari quicquam poſſe, quod lectione dignum ſit, id ſanè in te vehementer ſum admiratus: qui noſſe tarditatem, & cunctationem meam maximè omnium debeas: qui crebro me deſperatione ſuſcepta operā penè abiicientem videris. Tibi ne veniſſe in mentē, menſtruo ſpatio poſſe aliquid à me confici? Ne tu in hanc opinionē de me diſceſſeris vnquam: néue tibi perſuaſeris, eum eſſe me ſemper, quem tu interdum expertus es, hoc eſt in poteſtate & arbitrio: vel (vt nonnulli dicere ſolent) in numerato ſemper orationis copiam habentem. Sed quoniam promiſſo ſatisfaciendum eſt, tuaq; fides exoluenda, quam Pontifici adſtrinxiſti: magnopere velim te expiſcari & indagare, quo ille argumento potiſſimum lætaturus ſit: atque vtinam ipſemet mihi præſcriberet: fierem enim attentior illo mihi admoto veluti ſtimulo. Quid autem? quicquid dummodo ne de conciliis: quòd in eo genere & permulta ſcripta ſunt: & volo fidei meæ teſtimonio derogari, ſi fortè in concilio quid ſentirem de his rebus, eſſet mihi expromendum. Poteris igitur, ſi cum eo familiarius loquendi tibi poteſtas fuerit, ſciſcitari de eomet, quid ſibi maximè placeat. Ad Farneſiū compoſui gratulatorias literas: ſerius fortaſſe, q̃ expectarit: ſed ita accuratè, vt nihil mihi in ea re videatur potuiſſe ſcribi grauius. Florebellum ſummopere diligo, & quanquam mihi illius abſentia incommodo eſt, atq; vt priſco vtar verbo, diuidiæ: tamen florere eum in celebritate magis opto, quàm mecū in ſilentio, & quaſi in ſolitudine viuere: idq; adeo illius cauſa, quem ego dignum omni honore ſtatuo. Gratum ergo erit mihi intelligere, eſſe eū eo loci poſitum, vbi ſpem magnam capere ſuæ liberaliter fortunę cōſtituendę poſſit. Nos hic ſat belle habemus: aſperiorem aliquanto ſentimus hyemem, quàm in his regionib. ſolita ſit: annona & reliquis fructib. abundamus. Frater tuus quotidiè magis & morib. honeſtis, quod videmus: & literis, quod ſperamus, proficit. Sacratus in officio eſt, commodamq; mihi præbet operam. Amici & familiares valent. Reliqua ſi qua ſunt, a domeſticis ad te ſcribi copioſè puto. Carpent. VI. Cal. Decemb. M.D.XXXXV.

Nigrum meum ſaluere plurimum iubeas velim: quem ego amo mediusfidius, & in medullis habeo: eius literis non reſcripſi, ſatis ſpatii non habens: & tamen nullam ei epiſtolam arbitror te internuncio futuram gratiorem.

## V.

## AD EVNDEM.

SCripsi literas ad te ſpecioſas, quas Pontifici oſtendere poſſes: in quibus de tua iſtic manſione, reditúue ad nos, cõſilium illud do, quod vnũ in huiuſmodi re viſum mihi eſt dari tibi oportere. Nunc ſcribo has familiariores alteras, vt etiam hoc addam, quod mihi maximæ curæ eſt. Nam cum ego prius quietiore animo eſſem, in reditum tuum expectans ad eam diem, quæ fuerat dicta: hoc eſt, circiter menſem Aprilem, poſtquam tu non ſemel, ſed bis iam ſcripſiſti ad me, cupere te anticipare illam diem, & primo quoque tempore ad nos reuerti, magna ſum incenſus cupiditate videndi tui. Sed tamen, quod eſt mei paterni animi erga te proprium, ſemper commodum & vtilitatem tuam meæ voluntati præuerti volo: vt ſi habiturus ſis ſplendidam occaſionẽ iſtic commorandi, agas quod animo tuo lubuerit, quemadmodum tamen in alteris literis, quæ ad ſpeciem factæ ſunt, conſilium meum tibi de hac tota re explicatum eſt. Illud tantum te admoneo familiarius & propius, vt ita ſtatuas, idque habeas exploratum, ſi ſemel in illam naſſam te inieceris, liberum tibi poſthac exitum non futurum. Nos enim ipſi, id quod tu ſcis, niſi diuino potius quàm humano certè conſilio, emiſſi ex illis vinculis, tanquam è cuſtodia fuiſſemus, adhuc impediti & conſtricti hæreremus. Neque ego te impedio, nec deterrere te volo, quo minus iſtic maneas, ſi commodum tibi ſit. Sed vtrumque putaui meum eſſe, & quod faceres approbare, & quod ſentirem id verè expromere. Confeci etiam ad Pontificem epiſtolam, quam omnino cures ei reddi: eſt enim ſcitè (opinor) ſatis & grauiter ſcripta. Quam quidem vt conſcriberem, illa me res præcipuè impulit: quod cognoſci ab eo, & à cæteris omnibus volo, firmum animi mei propoſitum, huius qua nunc fruor, retinendæ tranquillitatis, & libertatis meæ, vſque ad extremum ſpiritum conſeruandæ. Amicos noſtros quidem omnes, ſed imprimis, ac præcipuè Bloſium eum omni à me ſalute & charitate complectere. Vale.

## VI.

## AD EVNDEM.

BInas à te acceperamus literas, datas menſe Nouembri: nũc accepimus trinas ipſo natali Dei & domini noſtri die. Reſpõdeo igitur ad omnes. De tua cupiditate, vt ſis mecum, & mihi valde gratum eſt, & te video poſtremis tuis cognouiſſe iam de co ſententiam meam: nempe te non minus auidè expectari à me,

quam

quàm deſiderari me tibi: quamobrem ages quod quandoque ti-
bi videbitur. Illud tantum te admonitum volo, vt cautè iter fa-
cias. cùm propter anni tempus, eſt enim hyems: tùm quòd cum
non maximè comitatus ſis, ſiſque per ea loca, eoſque homines
tranſiturus, quorum mos & natura mihi valde eſt ſuſpecta: non
ſine animi ſolicitudine eſſe poſſum: neq; ſoluto animo de te co-
gitare. Quare fac vt omnem adhibeas cautionem & diligentiam,
quò te nobis ſaluum atque incolumem ſiſtas: fidosq; habeas &
comites, & viarum duces: in quo neq; operæ, neq; pecuniæ parci
à te volo. Et quoniam vno aliquo egemus qui à pedibus ſit, Fa-
britium eram deſideraturus. Sed is retinetur à Florebello, cuius
commodum facilè antepono meo, alium adduces quemlibet,
quem tu idoneum & fidelem eſſe iudicaris. Cæſium Cardinalem
& amaui, coluique ſemper, (quemadmodum tute ſcis) & valde
bene de eius ingenio, prudentiaque iudicaui: meque ab eo diligi
etiam ſenſi: quod eſt caput meæ in eum obſeruantiæ, eximijque
amoris. Qui quòd tibi ſe comiter amiceque dedat, habeatque
nonnunquam de me mentionem: gratiſſimum mihi eſt: teq; illi
meis verbis & agere gratias, & mea in illum perpetua officia pol-
liceri, planè volo. Lapidem autẽ illum quin ferat cauſa nulla eſt:
quare niſi iam feciſti, facias illi primo quoque tempore eius au-
ferendi, & ſibi habendi poteſtatem. Marium noſtrum aueo ſcire
quid agat, & quo animo prooemium noſtrum acceperit: tu ſi ab
eo aliquid, continuò facies me certiorem. Gambarum conuen-
tum à te, & meis ſaluere verbis iuſſum, admodum lætor: illudque
magis, quòd tibi viſum ſcribis fuiſſe, me ab eo diligi. Quod ego
non parui facio: eius enim de ingenio, & de nobilitate animi,
ſummaq; humanitate, ſemper exiſtimaui bene: quapropter item
meis verbis ages illi de hac eius voluntate erga me gratias. Pe-
trum Lambertum meum, optimum ſanctiſſimumq; virum, eun-
demque omni virtute atque humanitate præditum, ſic non amo
ſolùm, verùm etiam colo ac veneror, vt nullius hominis amplitu-
dini & dignitati plus tribuam, quàm eius vnius integritati ac vir-
tuti. Qui quòd me, teque diligit, ſuamq; omnibus in rebus oſten-
dit aduerſus nos beneuolentiam, tam gratè accipio, vt nihil ſu-
pra. Sed quando tot eius erga nos meritis referetur à nobis gra-
tia? vtinam veniret mihi in mentem, qua re poſſem me illi exhi-
bere, agereq; aliquid, quod tali viro accideret optatum, teſtimo-
nium meæ ardentis erga illum voluntatis. Sed, ſi omnia ad gra-
tiam oſtendendam nobis reliqua ſunt clauſa, teſtimonium certè
tantæ virtutis ac benignitatis pro virili noſtra in poſteritatẽ pro-
pagauimus: eſt enim mihi ille ſemper in intimis medullis infixus.
Tu ei à me millies ſalutem, vel centies millies potius: nemo eſt
cui me magis charum & cõmendatum eſſe cupiam. Quòd autem
ille tibi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ille tibi ſuadet, vt munus conſecrationis, vel facultatem potius cum muneris accipias, idem ego & probo, & te hortor. Moroni Epiſcopi Mutinenſis noſtri virtute & dignitate plurimum lætor: teq; iniiſſe cum eo amicitiam valde laudo. Caluum habeo in memoria, fuit enim ſemper mei amiciſſimus: ipſe certè (quod noſſe de illo potui) ingenio animoq; erectior quã videretur illius fortuna poſtulare: quem ſalutes velim à me: eique dicas, gratum illum mihi facere, quòd memoriam mei non intermittit: petereq; ab eo me, vt hoc aſſiduè faciat. Capiſuccum meum, talem tibi beneuolentiam oſtendere, tantumque impartire amoris, quantum ſcribis, incredibile eſt quantopere gaudeam, & certè nihil fieri poteſt illius virtute præſtantius, humanitate lenius, familiaritate dulcius. Et tamen hæc in eo antea etiam cognoram: nunc verò, quod tantam fidem præſtet amicitiæ, quod ita memor ſit eorum à quibus ipſe mirificè diligitur, quanquam longè abſentium, hoc prope ſingulare eſt & ſummũ in hac ætate optimi viri indicium: cui ego toto corde & animo penitus ſum addictus. Illud doleo, quòd cum ipſe facultatẽ amplam habeat crebro nobis amorem ſuum oſtendendi, nos nihil ſimile aduerſus eum agere poſſimus. Sed aliquando poterimus: aut ipſe eadem virtute, animiq; ingenuitate, qua nos officiis omnib. proſequitur, noſtram voluntatẽ expleſe pro relata gratia accipiet. Quòd eius omnib. in rebus ope & conſilio vteris, facis rectiſsimè, idq; vt ſemper facias tibi potiſſimum mando. Ad Gonzagam ampliſsimum virum ſuades vt ſcribam. Enimuerò quid? præſertim cum aſcribas occupatiſsimum illum eſſe. Videtur tibíne rectum, vt obtundamus eum inanibus epiſtolis? Ac delectatur ſtylo & genere meo dicendi. Primùm, nõ video cur delectari debeat, quid enim eſt in meis ſcriptis egregiũ, quodq; non imprimis humile & ſerpens humi ſit? Deinde, ſi maximè delectetur, iuuenile eſt ſummos viros literis laceſſere, quæ nihil afferant aliud, præter animi delectationem. Imò verò habeat ille hoc pignus noſtræ ſummæ erga eum obſeruantiæ, maximiq; quidem proſequimur honoris, quod vacuas rebus & negotijs literas ad eum dare erubeſcimus. Quẽ quod ſcribis omnia ſumma officia Accolto noſtro in illius grauiſsimis incõmodis præſtitiſſe, lætor virtute & laude ampliſsimi ac nobiliſsimi hominis: multumq; ego quoq; hoc nomine illi debere me intelligo. Gratum & id mihi, quod de Vbaldino nũtias, eſſe eum cum Accolto in amore & gratia, hominemq; ſeſe in illius aduerſis reb. præſtitiſſe. Laudo virtutẽ, officiumq; diligo. Sed de eo ipſo eſt quod expoſtulem. Tandiune, cùm in Vrbe aſsiduus fuerit, nihil ad me literarum, ac ne per alios ſalutẽ quidem? at tu illi à me plurimã. Cui indicabis, etiam ſi ipſe me minus diligat, ſummè tamẽ eum à me & amari & ſemper amatũ iri. Hortos noſtros Quirinales ſcripſi vt redimeres:

nunc ſi tibi videtur commodius ſinere eos vti ſunt, ea ratione, ne
ſi ab vno auellantur in aliquem potentiorem incidant, à quo non
tam facilè poſtea poſſint auelli: facies quod iudicaris rectum, to-
tum enim hoc negotium tibi permitto. Latinum Iuuenalem amo
maiorem in modum, meq́ue ab eo amari opto: tu me illi & me
omnia, & res prouinciæ huius commendabis. Æmilius quod
me petit, neque facile id factu eſt, & certè alieniſſimum noſtræ
integritatis. Nos officia amicitiæ illi præſtitimus, quoad licitum
fuit: ſinat nos nunc officij noſtri habere rationem. Nam vt eo
cogitationibus vrgendis, & aduerſarij perſona ſuſcipienda, lites
proſequamur, neque honeſtum, neque decorum nobis eſt: lon-
geq́ue remotum à more & profeſſione noſtra. Libellum hic reti-
nebimus, quoad ipſe inueniat qui rem exequendam curet: quem
ex prouincia ipſa eſſe oportet: & tamen magnus numerus eorum
hominum ſolet in Vrbe eſſe: vt futura ſit ei alicuius copia, qui
agat ſedulò & diligenter: quando quidem ad talia genus illud
hominum eſt aptiſſimum. Si qua re honeſta Æmilius meam be-
neuolentiam erga ſe expectet, experietur ſemper me amantiſſi-
mum ſui. Ain tu Romæ eſſe Hieronymum Alexandrum? quem
ego abeſſe longè putabam: audieram autem eſſe eum Venetijs:
gaudeo mediusfidius, datam tibi facultatem, hominis omnium
doctiſsimi & noſcendi, & viſendi: quem quòd ſcribis mei eſſe
peramantem, moriar ni eo nuntio mirabiliter ſum delectatus.
Hic de illis Paule eſt, quos ego imprimis mirari ſoleo. Incredi-
bile propè eſt, quæ ſit hominis ſcientia, memoria, cognitio re-
rum plurimarum, de quo ſæpe equidem tecum locutus ſum. Sed
nunc cùm nactus occaſionem es, complectere hominem omni-
bus officiis, & te illi inſinua: abibis enim ſemper ab illius latere
& colloquio doctior: quem ſalutari à te meis verbis ſtudioſiſſi-
mè volo. Tantum vtrumque noſtrum ab ampliſsimo viro Con-
tareno amari, quantum tu ſcribis, ſummæ mihi voluptati eſt: ve-
nam ille modò habeat iuſtas cauſas id agendi. Ipſe quidem illi
omni obſeruantia iure optimo ſum addictus: cuius legi adno-
tationes, & tamen eſt quiddam, in quo leuiter diſſentimus: in
quo tamen meis rationibus allatis illius ſententia potiſsimum
ſtaturus ſum. Sed oporteret nos colloqui: quod aut faciemus
coacti concilio, ſi modò vnquam cogetur: nam ego quoq; Chri-
ſtiano illi negotio pro mea parte non deero. Aut ſi facultas ea
non dabitur, & deſperaro poſſe nos congredi, per literas accura-
tius & ſciſcitabor ſententiam eius, & explicabo meam: quamob-
rem tota iſta res in id tempus differatur. Mendum illud in libro
meo, quòd ipſe quoque corrigi debere dicat: probetq́ue in eo
opinionem meam, quæ tamen eadem ſemper fuit, neque quo pa-
cto in verbis illis fuerit immutata ſcio, nec miror, & tantò magis

dari

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dia te operam volo, vt in omnibus libris, quotquot fieri pote-
rit, error ille tollatur. Ad poſtremas venio literas: Saluiatum &
Campegium, & Symonetam, quantum colam tu optimus teſtis
es: qua autem illi in rebus noſtris beneuolentia vtantur, cognoui
ego ex tuis literis. Agito igitur illis maximas à me gratias, o-
mnemque meam obſeruantiam, officium, amorem, eiſdem defe-
ro: quod commodiſſimè facies, cùm commeatum petes ad nos
reuertendi gratia. Hortenſium lætor bonis ingeniis probari
Octauio Pantagatho optimo atque eruditiſſimo viro, cuius offi-
cium gratiſſimum habui, meam item gratam eſſe & memoriam
eius officii, & erga ipſum voluntatem gaudeo. A Steuco accepi li-
teras humaniſſime ſcriptas, quæ me maiorem in modum delecta-
runt. Quod ad Fregoſium ſcripſiſti, laudo. De penſione illa tua
petere à rege vt eam autoritate ſua comprobet, indignũ eſt. No-
ſtra erga illum officia eiuſmodi ſunt, vt ſi fortunam ſequeremur,
maiora ab illo expectare deberemus. Nunc cum è fortuna non
pendeamus, infringere in re parua magnitudinem animi noſtri,
ne cadere quidem in cogitationem noſtram debet. Si penſio per
Pontificem poteſt roborari, honeſta eſt actio, & petere non inde-
corum. Si ad Regem confugiendum eſt, non eſt tanti penſio, cur
hanc demiſſionem animi alienã à moribus & natura noſtra ſub-
eamus. Nihil eſt quod te pigeat reddidiſſe primò Farneſio literas,
& eius opem & gratiam imploraſſe: non enim dubito, quin ne-
gotium ſuſcepturus ex animo, idque quod volumus à Pontifice
impetraturus ſit. Quod ſi etiam fiat ſerius, ſemper tamẽ futurum
eſt his populis gratum. Non te oblitum arbitror, quod tibi diſce-
denti de Alfonſo fratre in mandatis dederim. Id tamen, quoniã
(ni fallor) magnæ mihi curæ eſt, repetendum his literis duxi, vt
ſtudioſe contendasq; apud Pontificem Maximum, quò magiſtratus
ei aliquis illius virtute dignus mandetur, in quo poſſit & doctri-
nam ſuam, & integritatem exercere. Non enim diffido optimum
Principem, pro ſua clementia & erga nos voluntate, habiturum
rationem togationis noſtræ: nobisq; ea præbiturum, quæ com-
modiſſime ſunt: cùm nos, qui nihil magnum neq; inſigne quæri-
mus, ac ne optamus quidem, neque ob eas res aures Principis no-
ſtri obtundimus, hòc ſimus qui parua & vulgaria impetremus di-
gniores. Ages igitur cum illo noſtris verbis, & diligenter, & auda-
cter: vt habere velit fratris mei rationem, & docti, & prudentis
viri: cuius tam probitas, iuſtitia, & integritas, in aliis magiſtrati-
bus, quos alias perhonorificos geſsit, magna cum ipſius laude
ſpectata eſt. Cauſas celerioris reditus tui, vel quod iuſtæ ſunt, vel
quia ego rei ipſi faueo, habeo ſanè quàm probatas. Tantùm te
moneo iterum atq; iterum, vt cautiſsimè iter facias. Iulium pue-
rum hoc tempore viæ committi nõ placet: primo vere curabitur

vt tutò & commodè veniat. quod etiam eius deducendi onus Nicolaus Capellus ſibi ait impoſitum à mulieribus fuiſſe: qui cum illhuc cupiat redire, comitum penuria etiam nunc detinetur. Literas meas ad Pontificem maximũ, quas poſcebas, cùm hæc ſcribam ad te, perlatas eſſe arbitrabar, teque illis iam vſum eò quo vtendum putaſſes. Accoltũ doleo excedere ex ea vrbe, in qua quàm maximè eum morari vellem: vt enim nobis eſt amiciſſimus, ita pluribus rebus nauare nobis poſſet beneuolentiam ſuam. Sed ferenda humana. Quas quidem ad eum ſcripſi literas, non minore motu animi à me ſcriptæ ſunt, quàm ab illo fuerint lectæ. Claudium opto mecum eſſe, tametſi ego in ſcribendo & lucubrando factus ſum ſegnior: itaque ſcito, nihil à me hac hyeme compoſitum fuiſſe, quod momenti alicuius ſit. De gloria inchoaueram, ſed citò intermiſi: habeo tamen in animo opus illud perſequi, in quo Saluiato, cui tantum debemus, referatur aliqua ex parte à me gratia: quod etiã per te illi volo exponi, & declarari. Tu ſemper de Bloſij Palladij noſtri humanitate, comitate, beneuolentia erga nos aliquid ad me ſcribis: tibi autem quid ego reſcribam, niſi illud, quod ſolenne & fixum eſt, eum à me ſcilicet incredibiliter amari. Quod cùm ſummè faciam, non tamen tantum mihi videor poſſe facere, quantũ illius erga nos officia poſtulant. Vellem ſcripſiſſes ad me, ecquid habeat gratum, quod ego illum in meo Hortenſio intexui: & certè habere debet: non tam, quod magnum aliquid propterea ſit aſſecutus, quàm quòd ego illi in conſpectu propemodum pono vniuerſam imaginem illorũ temporum, in quibus noſtræ vtriuſq; iuuentæ deſideria illa ardentia ferbuerunt, quorum eſt recordatio vtriq; noſtrum iucunda. Eum tu meo nomine amplectere, & ſalutem illi plurimam dices. Florentium magiſtrum huius iuuentutis quotidie magis probo: niſi quod videtur mihi factus taciturnior, & ſolitudinis amantior: in quo mihi eſt admonendus, (quod facere cogito) vt caueat, ne hoc ſit μελαγχολίας vitium non animi iudicium: omniq́ue modo ad hilaritatem eſt prouocandus. Ei ſtipendium publicè conſtitutum eſt ſatis amplum. Cuius tertia pars illi à nobis ſoluetur, quemadmodum cùm tu etiam adeſſes, eramus ciuibus polliciti. Frater tuus mihi admodum ſatisfacit, ſeq́ue exhibet & facilem & cupidum obtemperandi mihi: & certè (vt ætas illa eſt) nihil, aut admodum raro delinquit. Spero de eo optimè. Sacratus in ſuis ſtudijs eſt aſſiduus: cæteri familiares bene habent. Nos hic in ſuauiſſimo otio viuimus: copia rerum abundamus (præterquam pecuniæ) penè omnium. Multum mihi tuæ ad Bembum placuerunt literæ: vt, ſi homo es, magno animo dedere te debeas ad hoc Latinè ſcribendarum epiſtolarum genus. Ad poſtremas tuas literas nihil eſt quod reſcribam amplius. Satis enim ad omnia arbitror

eſſe re-

eſt reſponſum. Tantum Iaccobaccio humaniſſimo viro vt gratias agas meis verbis mando, atque vt eidem omnia noſtra commendes: meq; confirmes memorem ſemper & ipſius officiorum erga nos, & patruorũ eius futurum; quos ego vehementer amaui dum viuerẽt, neq; deſiſto diligere etiam mortuos. Adſcribam hoc quoque: niſi ex tuis literis fecero coniecturam, diutius te iſthic, quàm nũc facturũ te oſtendis, commoraturũ eſſe, nullas amplius literas me ad te ſcripturum: ſed tempus & curam omnem poſiturum in ſacrarum literarũ ſtudijs: quæ narrare tibi nequeo quantopere me delectent. Tu vt eo animo ad nos venias, tanquam te in eadem ſtudia totũ immerſurus ſis, omnino facito. Vale etiam atque etiam. Durando cubiculario ſummi Pontificis multum intelligo me debere: ſuis enim in te officiis egregiè promeruit, vt ego quoque illi deuinctus eſſem: quamobrem ages meis etiam verbis ei gratias: meque totum ſuum vt exiſtimet, admonebis. Iterum vale. V. Cal. Ianuarij, M. D. XXXV. Carpent.

## VII.

## PAVL. SADOL. PETRO BEMBO.

EX tuis literis, quas ad Lazarum noſtrum Papia proficiſcens dediſti, me in Italiam veniſſe, Romamq; iter habere, & quæ profectionis noſtræ cauſæ, quæve conſilia eſſent, cognouiſſe te arbitror. Illud quidem certè cognoſſe te non dubito, quòd ei nominatim vt te doceret mandaueram, deferre mecũ me patrui mei de laudibus philoſophiæ librum, quem is paulò ante abſoluerat: atque ab illo mandatum habere, vt ſimul ac conſtitiſſem, ſtatim eum deſcribendum, & fideliter ad te perferendum curarem: mirificè enim eum cupere, vt tu illum primo quoq; tempore, atque omnium princeps haberes: cùm eius amicitiæ, quæ inter vos interceſſit, cauſa, (præſertim cùm tu illum ab eo librũ tantopere efflagitaſſes) tum verò vt lucubrationem ſuam ad iudicium tuum deferret, tuique imprimis opera, cura, diligentia, fide, in illa expolienda vteretur. quod ipſum etiam, poſteaquam ad Vrbem veni, diligentius mihi per literas mandare, meque vt approperarem vrgere nunquam deſtitit: facilè vt appareat, quanquam magna quadam in eo libro ſe eſſe conatum exiſtimet, non tamen eum ſibi librum antè probatum iri, quàm is grauiſſimo atque acutiſſimo iudicio tuo fuerit comprobatus. Quamobrẽ Matthæo Dandolo ciui tuo, eidemque tui nominis (vt mihi perſpicere viſus ſum) ſtudioſiſſimo, mihi ex Contareni Card. familiaritate cognito, & propter eius virtutem atque humanitatem vehementer probato: cùm in iſthæc loca proficiſceretur, ipſum deſcriptum ad te librum dedi, eiq; quàm maximè potui commendaui: quem effecturum non dubito, vt is fideliſſimè ad te celerrimeque



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

perferatur. Nunc te Bembe optime ac præſtantiſſime, patrui mei verbis etiam atq; etiam rogo, fidemq; à te amicitiæ, quam mihi omnibus in rebus diligentiſſimè præſtare conſueuiſti, in hac potiſſimum imploro, vt ad eum legendum eo animo accedas, ne vt ſi quid laudandum in illo, ſed vt quidquid reprehenſione dignum ſit, tibi id notandum atque animaduertendum putes: atque ita ſtatuas, nos à te non tam voluptatem vllam ex laudatione tua, quàm maximam ex correctione vtilitatem expectare. Id porrò optimè fiet, ſi in legendo iudicis partes ſuſceperis, amici depoſueris. Subuereor enim interdum, ne te nimius amor noſtri in fraudem inducat, tibique omnia quæcunque a nobis proficiſcantur, arridere faciat. Quare cum tu Bembe amorē in iudicando ne adhibueris, ſanctiusque apud te ſit religionis atque officij nomen, quàm vlla amoris ac familiaritatis ratio. Quanquam quid certius ac proprium magis eſſe cenſendum eſt amici munus, aut quis ex amicitia capi vberior fructus poteſt? quàm vt quiſq; doctrina, ingenio, magnarum rerum vſu quam maximè excellit, ne ea illum omnia ad amici voluntatem atq; arbitrium ſummo etiam tempore, quàm libentiſſimè conferre? ijs præſertim de rebus, quæ & iam in manus hominum venturæ ſint, & ad poſteritatem etiam ipſam forſitan peruenturæ? vt opera ac fides tua a te nobis ita debeatur, vt eadem etiam pertineat ad vniuerſos. Illud te admonitum volo, poſſe legi librum, itemque ab amicis noſtris doctiſſimis viris deſcribi, Polo, Lazaro, Lampridio, quorum etiam quod de eo iudicium ſit, valde auemus ſcire, imprimi verò atque edi nequaquam poſſe: vult enim patruus ampliore temporis ſpatio facultatem ſibi eſſe, mutandi & corrigendi, ſi quid ex tuo præſertim iudicio, emendatione dignum videbitur. Verum eadem hæc patruum per literas tecum egiſſe confido. is enim ad me proximis literis ſcripſit, ſe literas à te, Iulio (vt arbitror) menſe datas, tunc demum accepiſſe, atque vt ad eas reſponderet, ſe parare. Tu cùm ſcribere ad nos voles, cenſeo huc ad Nigrum, qui vtriuſque noſtrum amantiſsimus eſt, ipſas literas mittas, qui eas mihi, quamdiu hîc ero, eueſtigio reddet: poſtquam autem diſceſſero, Carpentoracti etiā nobis eas curabit reddendas: ſic enim optatiſsimæ tuæ literæ, quanquam paulò longiore erratione, certius tamen, ac plerunq; etiam celerius ad nos peruenient. Quod autem ad me ipſum attinet, ego cùm in Italiam venire conſtituiſſem, ita peregrinationis meæ partes diſtribueram, vt ſtatuerem, te iſthic in reditu meo inuiſere, quem ad menſem Aprilem conijciebam fore. Te autem iccirco videre omnibus votis cupiebam: primùm, vt ſummum meum erga te ſtudium, ſingularemque obſeruantiam qua te iampridem ſum complexus, coram tibi declarare conarer: fruererque exoptata voluptate videndi atque alloquendi

randi eius viri, cuius virtute ac monumentis noſtra hæc ætas illuſtrior, & ad poſteritatem commendatior futura eſt. Deinde, vt etiam et tua aliquorum dierum conſuetudine, aliquid ipſe ad ſtatum meum transferrem, quod ad optimum atq; honeſtiſſimum vitæ curſum mihi conſtituendum valeret. Nam cùm hæc ſola fere cauſa ſit, quamobrem hanc à me vrbem, quæ ſemper domicilium virtutis atque prudentiæ optimo iure habita eſt, viſendam atque inſpiciendam putarim, vt ſcilicet in meis vitæ rationibus prudentior ex eo, atque moderatior fierem: meque ad præſtantium virorum, qui in ea ſunt, exemplum atque imitationem conformarem, quantopere mihi tuus Bembe aſpectus exoptandus eſt, qui mihi vnus totius vrbis eſſe inſtar potes? Quare ſtatuebam (vt dico) te videre antequam in Galliam me referrem: maneoq; etiam nunc in ſententia: modò ſtet illud quod diximus, de tempore, ad quod cogitabamus reuerti. Nam ſi expectabimus Aprilem menſem, te omnino videbimus. At ſi quis interuenerit caſus, quo hyeme cogar reuerti, id quod potius formido, aliud erit mihi commodius atque expeditius iter ſuſcipiendum: atque ita, ad moleſtum ſanè itineris, atque hyemis laborem, illud etiam mihi grauius accedet incommodum, quòd tuo mihi optatiſſimo congreſſu carendum erit. Quicquid autem ceperimus conſilij, te de eo certiorem faciemus. Vale. decimo Calend. Decembris M.D. XXXV. Roma.

---

## VIII.

*PAVLVS SADOLETVS RVDOLPHO Pio S. R. E. Cardinali, S.P.D.*

DECIMVS circiter menſis agitur, cùm ego & F. Molſa noſter, Io. Fr. Fallopium ciuem noſtrum iuuenem honeſto loco natum, ac liberaliter inſtitutum, amplitudini tuæ diligenter commendauimus: à teq; omni ſtudio ac precibus contendimus, vt eum mirificè cupidum ac ſitientem familiaritatis tuæ, velles in fidem ac familiam tuam recipere: multaque addidimus, quamobrem & ille tantopere id cuperet, & tu nolle nō deberes. Atque hoc à nobis (quod te meminiſſe non dubito) quodam die factū eſt, cum ad prandium apud te, certo conſilio, ego atq; Molſa veniſſemus: cumq; à te lautè ac peramanter accepti, loquendo (vt fit) ac deambulando, in anguſtam quandam ac penitiſſimam bibliothecæ tuæ partē ſoli tecum vnà perueniſſemus, opportunum ſanè locum, vt non inde tu facilè, niſi ea quàm à te petebamus, venia nobis data elabi poſſe viderere. In quo illud mihi ſanè gratum atq; imprimis iucundum accidit, quod præclarū eo die ſpecimen vidi eximiæ cuiuſdam liberalitatis atque humanitatis tuæ.

Nam cùm à nobis vehementius premerere: ac tibi quonia cupiditati noſtræ, quemadmodum voluiſſes, obſequi ſtatim p ſes, rei familiaris tuæ non paucæ ( vt tute affirmabas, id quod etiam agnoſcebamus ipſi ) difficultates obſtarent: vidi te ta mente ſæpius hæſitantem, vtrum maior tibi cõmodi tui ratio h benda eſſet, an ſtudij ac voluntatis noſtræ: quaſi tibi durius eſ nobis quippiam abs te petentibus non ſatisfacere, quam co rei familiaris tuæ rationes atq; commoda facere. Itaq; ea tu amplitudine tua inita eſt ratio, quæ & rebus tuis commodi æquè nobis futura eſſet grata. Petiiſti enim à nobis, vt certo quot, 4. opinor menſes, Fallopium ipſum ſuſtinere ſe, ac comm dum tuũ expectare iuberemus: quo tempore domeſticas tua ficultates explicari poſſe ſperabas, auctis per eos dies ex Galli ſacerdotio vectigalibus tuis. Tum enim demum te illi, nobiſq tantopere pro eo laborantibus morem eſſe geſturum. Quod cu Fallopio renuntiauiſſemus, magnũ ſe quiddam per nos adep eſſe arbitratus eſt: ac cum magnas nobis, tum amplitudini maximas apud nos gratias egit. Sibi enim facile aiebat fore, q diu tu velles expectare: vt qui nulla neceſſitate, nullaue inopi tuã exoptandam familiaritatem adduceretur: ſed ſola ea fama hominũ prędicatione, quæ de tua virtute, & animi magnitud ſummaq; humanitate incredibilis pene eſt, ſtudio atq; amore accenſus & inflammatus, cuperet ei viro cultum atq; operam dicare, cuius ipſe ex nomine & familiaritate fieret ornatior. Ac dit, vt tu breui interiecto tempore, à ſummo Pont. ad Galliæ R gem legatus de pace mitterere. Et paulò pòſt ſecuta eſt ipſius P tif. noſtraq; cum ea vna ab Vrbe profectio: tantæq; deincep te imprimis interprete ac adminiſtro, inter maximos princip actæ tractatæque fuerunt, vt nihil de eiuſmodi priuatis rebus, cogitandi quidem daretur loci. Nunc autem cùm ſedatis illis banarum rerum agitationibus, & publica re bene confirm vnumquemque ad priuatas ſuas rationes, atque ad inſtituta cõſilia reuerti liceat: admonet nos perpetui ſui optati Fallopi ſibique nunc demum poſt decimum menſem, patere aditum familiaritatem tuam petit: meque & Molſam ſponſores ſuos pellat. Nos verò, præſtantiſſime Rodulphe, fidem illi noſtra præſtare non poſſumus, niſi benignitate ac liberalitate tua uemur. Itaque Molſa quidem qui iſthic adeſt, communem causam noſtrã apud te aget pluribus. Quem etſi ſciebam, p ipſius ſuauitatem excellentemque doctrinam, apud te ap gratioſum eſſe, nec verò minus eum valere eloquentia gra que verborum, quàm gratia: vt vbi ille præſens eſſet, mea vo commendatio nõ magnopere deſideranda eſſe videretur, ta vt ego quoque meam fidem ac diligentiam homini amici

pro

probarem, has ad amplitudinem tuam dedi literas: te etiam atq; rem rogans & obſecrans, vt æquum te ac facilem poſtulatis noſtris præbere, hominemq́; imprimis honeſtum & probũ, necnon ſingulari quadam induſtria atque artificio præditum, qua de re tecum alias ſum locutus, benignitate tua amplecti atq; in tuis eſſe velis: præſertim cùm ille non caſu, vt pleriq; faciunt, ad familiaritatem tuam appetendam delatus ſit: ſed vnum te ex vniuerſo ampliſſimorum iſthic virorum numero, ſibi iudicio certo delegerit, quem patronum totius fortunæ conſtitueret ſuæ. Hunc ſi ad te admiſeris, atq; in familiam tuam receperis: equidem tibi audeo polliceri, magnam te ex illius fide ac ſolertia voluptatem eſſe capturũ. Mihi ſanè cùm illud gratiſſimum erit, propter amici mei commodum, cuius ego cauſa vehementer cupio: tum etiã intelligo, quàm honorificum apud municipes meos Mutinenſes mihi futurum ſit ac gratioſum, tanti videri eſſe apud ſummos viros commendationem meam, vt illorum beneuolentiam ac gratiam ciuibus meis conciliare, eosq́; opera ac diligentia mea iuuare poſſim. Quod ſi vides mihi amplum eſſe, ac penè glorioſum: exiſtimare debes, me tibi, cuius bonitate ac beneficentia eã apud meos ſacro laudem aſſecutus, quàm maximam ac perpetuã gratiam pro tali tuo beneficio habiturum: & ad multas eas & graues, quas cum Patruo meo communes habeo, tui amandi ac omnibus ſtudiis colendi cauſas, maximam etiam ex hoc tuo in me priuatim ac propriè collato beneficio cumulum acceſſurum eſſe. Vale. VIII. Calend. Nouemb. M.D.XXXVIII. Carpent.

## IX.

### IAC. SADOL. PAVLO SADOL. S.P.D.

DECIMOOCTAVO die poſtquam à te diſceſſeram, Mutinã veni, Idib. ipſis Maiis: ibi Alfonſum fratrem offendi valentem, & ſalua cætera quæ quidem domeſticas ad res pertinent. Sed illi penè inopinatus fuit aduentus meus. Etſi enim imperium nouerat, quo ego accerſebar, de mea tamẽ voluntate fuerat dubius: itaq; affui quaſi improuiſo. Noſtri quidem ciues officioſè atque amanter viſum ad me & ſalutatum frequentes adierunt. Ego illo triduo Florebellum Bononiam miſi, & ad Farneſium literas, nihil diſſimulans de mœſtitia mea, & ſimul exponens, quàm mihi graue extitiſſet venire in Italiam, & alieniſſimo meo tempore iter illud ſuſcipere. Petebam autem vt tranſacto cum Cæſare colloquio, liceret mihi Carpentoracte reuerti, quod iam vnum atq; ſolum à ſummo Pontifice expeterem beneficium. Erat & illa excuſatio in literis, me non continuò Bononiam profectum eſſe, quòd de via feſſus, aliquot dierum quiete, reficiendi mei cauſa.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

indigerem: me tamen quod ipſi imperaſſent eſſe facturum. Re-
ſponderunt, poſſe me Mutinæ ipſorum voluntate reſidere, do-
nec vocandi abeſſet opportunitas. Quo ego nuntio accepto, in
Corlianum noſtrum me contuli, vbi ſextum diem iam ago, animũ
quoad poſſum, reficere animum: eumq; reuocare ab iis ſollicitu-
dinibus, quæ me præter conſuetudinem vehementer agitaue-
runt, quod literarũ imprimis beneficio bona ex parte conſecutu-
rum me arbitror: tametſi libris careo, neq; habeo pręter duos aut
treis. Sed tamen & perfeci librum illum de peccato originis, vt
iam exire in manus hominum me concedente poſſit: & alia com-
mentor, quæ ſi res mihi facultatem dederit, in lucem editurus
ſum. Illud quidem mihi ſentio vſu venire, vt nunquam ex ſtudiis
literarum tantum voluptatis ceperim, quantum hoc tempore:
vel quòd nullam aliam habeo ſuauitatem, in qua acquieſcam: vel
quòd maior in morbo medicinæ vis apparet. Hic rumor erat or-
tus (vt dicebat) Bononiæ mihi legationem illam à Pontifice eſſe
decretá. Sed ſine capite hic rumor: nihil enim habebat certi nec
conſtituti: tantummodo ſermonibus hominum res iactabatur.
Quod quoniam mea neutram in partem intereſt, vtrum magis
velim planè neſcio. Ego, ſi mihi detur optio quid expetam, domi
cupio, & reuerti ad vos, & agere vitá cum meis amãtiſſimis. Quòd
ſi procul à meis tanquam in exilio vitam ducere neceſſe eſt, reli-
qua eſt deliberatio, mihíne expediat habere legationem: Sed de
his ſatis. Aduentus Cæſaris adhuc in expectatione eſt, nihilq; de
eo certi ad nos allatum. Dicebatur tempeſtatibus retentus confi-
cere curſum non potuiſſe: & tamen ſunt qui nuntient, peruectũ
eum ad Inſulas quæ ſupra Maſſiliam ſunt. Quod ſi eſt ita, citò Ge-
nuæ illum habituri ſumus. Noſtrum quidem illud inuentum ad
concordiam pertinens, quod tu quoq; tantoperè probabas, ſci-
to non ſuppreſſum modò fuiſſe, ſed ſicubi fuit illius enunciandi
neceſſitas, alio atq; erat modo interpretatum: verùm iſta viderit
Deus. Ego poſt diſceſſum iſthinc meum, nec literas à te nec nun-
tium vllum accepi, quod mihi moleſtum eſt: nihil enim vehe-
mentiùs opto, quàm de te audire ea, quæ mihi iucundiſſima ſunt,
vt rectè valeas: vt in magiſtratu te geras: quid ciues mei, quid re-
liqui omnes agant, quorum nobis & ſalus & memoria eſt iucun-
da. Tectum Felicianum abſolui volo. Viaticum huius itineris, pro
ratione dierum qui in itinere conſumpti ſunt, miſi ad Carolum
noſtrum Gualterruccium vti peteret: res æqua & legitima nihil
habuit difficultatis: trecenti ſtatim numerati ſunt, in quo opera
Ardinghelli eximia & amor erga me ſingularis. Illud ex hac mea
poſtulatione mihi accidiſſe gaudeo, quòd deſierunt mirari ac
reprehendere, quòd ducentos illos reddidiſſem, poſteaquam
viderunt me trecentos poſcere. Non enim iam illa moroſitas

mea

nea, ſed religio iudicatur. Adhuc hæc erant quæ tibi ex me noſſe vellem. Si quid ampliùs euenerit, curabo vti ſcias: & vel ipſe ad te mea manu ſcribam, vel delegabo Florebello. Catherinum, Glocerium, Verotum, & reliquos familiares noſtros ſaluere iubebis meis verbis. Curabiſq; præ cæteris rebus omnibus, vt mihi à te literæ crebrò longiſſimæque reddantur. Vale mi Paule, & Deum precare vt redeamus. Iterum & ſæpiùs vale. Ex Corliano, VI. Calend. Iunias, M.D.XLIII.

---

X.

*IAC. SADOL. PAVLO SADOL. S.P.D.*

DATIS ad te literis illis, quas in Corliano ſcripſeram, hæc ſecuta poſtea ſunt. Ego cùm angerer animo, diremptum me a eis optimarum artium ſtudiis, in quibus beata mihi vita erat propoſita: & reliquiſſe tamen cum illis vnà, cùm eos homines, qui mihi eſſent chariſſimi, tum eas regiones, in quibus mihi ſumma cum libertate animique iucunditate, meo arbitratu, viuere erat conceſſum: tentandum & conandum eſſe duxi, ſi quo pacto poſſem me hinc explicare, & ad vos, quibus cum eſſe maximè cupio, primo quoq; tempore me referre. Itaq; cepi conſilium opinione meâ ſolers plenumq; ſummæ rationis, ſi tamen ratio omnibus in rebus locum haberet. Scripſi enim literas, quarum exemplum tibi miſi: & ad eum ſcripſi, qui maximè mihi ſuffragari meæ voluntati poſſe videbatur: idq; ipſe non nolle, quando eodem his ſtudiis mecum, eodemq; erga literas animo eſt coniūctus. Qui mihi poſt triduum reſcripſit, omnia ſe ſumma egiſſe: longum habuiſſe cum Pont. ſermonē, viſumq; ſibi illum animo erga me propenſo & beneuolo: certum tamen reſponſum meis poſtulatis in propinquum colloquium reſeruatum eſſe. Et ſimul eiſdem literis me admonuit, vt cùm primū commodo meo poſſem, Bononiam me conferrem. Erectus eram in ſpem, vt nō diffiderem aliquid poſſe fieri eorum quæ cupiebam: nec tamen planè confidebam. Res ipſa & poſtulatorū æquitas me vt ſperarem, hortabatur. Cur enim difficilis deberet eſſe Pontifex in ea re mihi concedenda, quę ſine vllo onere ipſius proprio, & laudem illi & genus quoddam honeſtiſſimæ vtilitatis eſſet allatura? Rurſus conditio temporū, & impendentes quotidiani penè vndiq; metus, ab ea ſpe me abducebant: nonnihil enim in perſona mea ad ſubueniendum tantis præſentibus Reip. fluctibus hominum iudicio videbatur eſſe poſitum. Anceps igitur animi, & dubius, quid caſurum eſſet, Bononiam perrexi Nonis ipſis Iuniis, diuerti ad Paleotos, quorum vetus hoſpitium nobiſcum, hac noua familiaritate renouatum eſt. Poſtridie mane Pontificem ſummum conueni. Acceptus ſum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ab eo perbenignè:laudauit operas noſtras legationis Gallicæ,aduentum noſtrum ad ſeſe ſibi imprimis gratũ eſſe affirmauit:oſtendit ſibi curæ fore commoda noſtra,idq; breui nos re ipſa intellecturos pollicitus eſt. Egi gratias,commemoratisq; cauſis, quibus ad veniendum effectus fueram difficilior, inſtiti repetere eadem quæ in literis ſcripſerã: nihil me malle in hac iam mea præcipitate ętate,quàm in otio viuere, & quib.me donis Deus ornare(ſi tamen vllis ornauit)voluiſſet,ea ipſa dona ad illius laudẽ gloriamq; conuertere:eſſe mihi in animo laboranti fidei Catholicæ ferre opem,ſi quam poſſem:prę ſertim quæ tam multis oppugnatoribus labefactata atq; vexata, paucos qui ſe defenderent,iam haberet. Hoc autem dicebam, quòd de duorum doctiſſimorũ hominum morte,Alberti Pighij, & Ioan.Ecchij nuntij huc peruenerãt.Proinde rogauit vt mihi reditũ concederet in ea loca, in quibus hoc optimè fieri à me & commodiſſimè poſſet. Reſpondit in præſentia nihil ſe de hac re conſtituere poſſe:videre me ſtatũ periclitantis Chriſtianę Reip.in ea regenda egere ſe ope multorum atq; cõſilio:in eoq; nõnihil mihi ſubblanditus eſt.Hoc ſermone habito, dabatur enim eo die ſenatus Epiſc.Geneuati nuper in Card.collegium allecto, tum primum ad Põtificem venienti,ſeſſum omnes conceſſimus.Poſtridie,qui fuit dies 6.Id.Iunij,ſenatus iterum vocatus eſt: cauſa conueniendi fuit, quod cum ſuperioribus diebus fuiſſet de conſilij ſententia decretum , ſi Cęſar Bononiam venire recuſaret (properare enim dicebatur,nec ſpatiũ habere tam longè ab itinere declinandi) vt ne vlterius procederet Põtifex,ſed vel illum Bononiæ exciperet , vel ſi id nõ contingeret,inappellatum abire pateretur: cùm tamẽ ſi quid in congreſſu agendum eſſet,id mittendis nuntiis facilè poſſet ſarciri. Ratio autẽ ita decernendi fuerat,quòd videbatur hoc dignitati & grauitati ſedis Apoſtolicę maximè conuenire : ſimulq; ætatem Pontificis pergrandem tot itinerum laboribus obijci non placebat.Ergo hæc eadem res iterum abducta erat in diſceptationem:placerétne vlteriùs obuiam procedi nécne. Nam Cæſar quidem Parmæ ſe oſtenderat Pontificem libenter conuenturum : hic quinq; ante me rogati,in ſententia priſtina manſerunt: cum exceptione tamen,niſi certa ſpes aliqua de pace eſſet oblata,quæ iter ſuaderet: tum enim iri oportere cenſuerunt. Ego rogatus,contrariam ſententiam dixi de valetudine & incolumitate corporis ad Pontificis iudicium reiecta. Dignitatem in eo dixi poſitam , ſi quæ vtilia & commoda Reipub. Chriſtianæ eſſent, agerentur: hanc vnam me agnoſcere,neque aliam præterea vllam in Eccleſiaſticis hominibus dignitatem. Inquirere certam ſpem in eis rerum euentibus, quos ſuæ poteſtati Deus reſeruaſſet, non eſſe noſtrum : velle & conari bona, quod in nobis eſſet, ad nos id pertinere: me tamen ſperare,

cum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cim Cæſar & tempus anni, & Pontificis ętatem laboresq; cõſpe-
xiſſet, habiturum illum officij rationem, & ad pacis conſilia ſi nõ
promptè (quod tamen ipſum à tanto Principe expectandum nõ
eſſet) attamen, inductum pudoris ſtimulis, facilius de ſe datu-
rum, in hac quidem re ſuadenda plus effecturum eſſe præſentem
Pontificem, quàm ſi abſens per nuntios hæc eadem ageret. Po-
ſtremò vel hac vna ratione neceſſariò dixi proficiſcendum, vt ru-
mores hominum comprimerentur. Erat enim ſermo latè diſſipa-
tus, ortas eſſe Pontifici cum Cæſare ſimultates: quarum, ſi fuiſſet
colloquium deuitatum, non ſine periculi alicuius ſuſpicione al-
tius hominum mentib. opinio inſediſſet. Hac à me ſententia di-
cta, ab omnibus deinceps in eandem eſt diſceſſum. Itaq; Parmam
venimus, heríque Pontifex ingreſſus vrbem eſt: cras verò aut per-
endie Cæſarem expectamus. Is porrò ſi venerit, poteritque à no-
bis conueniri, quod dabimus operam vt fiat, & ſpatium cũ eo ha-
bebimus colloquendi, non deero officio & pietati in Rempubli-
cam meæ: animo equidem ſum optimo, ſed diuina imprimis be-
nignitate eſt opus. Illud mihi admodũ moleſtum eſt, quòd non
poſſit perſuaderi hominib. ex hoc congreſſu aliud quippiam quę-
ri, niſi priuatũ aliquorum cõmodum. Itaq; mira iactantur in vul-
gus, quæ vobis quoque audita eſſe arbitror. Ego quoquo animo
fuerint alij, integrũ me quidem à labe omni ſeruabo. Hęc ſcribe-
bam, 16. Cal. Iulij, cogitans cras conuenire Farneſium, agereque
cũ eo de ijs rebus, de quib. tu ad me ſcripſeras, vt commendem illi
cauſas populorum ſuorum, qui non voluntate, ſed propè neceſſa-
rio magiſtratibus imperio minus audientes fuiſſent. Nec diffido
iuuenem illum, vt eſt clementia inſigni & bonitate pręditus, ad
omnia æqua deſcenſurum. Iam ſum cum Farneſio locutus, gratũ
habuit conſilium noſtrum: omnia vti fierent, quæ ego ſuadebam,
præcepit: negotium datum Andringhello eſt, homini prudenti (vt
noſcis) & erga nos imprimis officioſo. Tu rem totam quomo-
do ſe habeat ex Florebello cognoſces. Ego in hac moleſtia & do-
lore animi, quem ex publicis rebus capio, hoc tamen me conſo-
lor, quòd careo ipſe omni culpa, & quæ mihi aut monenda aut
accuſanda videntur eſſe, libera voce pronuntio: ſumque hanc li-
bertatem perpetuò ſeruaturus. Omnib. quidem ex locis terra ma-
rique aduerſæ res audiuntur, itaq; mihi impendere videtur iã ex-
tremũ. De Cęſare adhuc incertũ, ſit ne, nécne Parmam venturus.
Incidunt enim quotidie nodoſiora quædam, quæ explicatu per-
difficilia ſunt, cùm enim hodie aut cras expectaretur à nobis, in
X. Calend. reiecti repentè ſumus. Vtinam mihi liceat aliquan-
do redire ad vos: cui meo optato ſi fortuna, vel Deus ipſe potius
fauerit, nunquam iſtinc viuus amplius exiturus ſum, mea me ſua-
uiſſima ſtudia, & ſtudiorum amœna diuerſoria, imprimis-

quę libertatis tranquillitatisq; cupiditas, & vigilantē & in ſomnis ſemper ad vos rapit: vnumq; iam meum eſt deſiderium, cum hominib. iſtius prouincię mei amantiſſimis, viciſſimq; mihi cariſſimis, & habitandi, & viuendi, quos tu omnes quidem, pręcipueq; Carpentoractenſes meos, & priuatim & publicè meis ſalutabis verbis: eximieq; eos quos ſcis à me valde diligi, quanquam in amore quidem pares habeo cunctos, in familiaritate non ita. Ioanni Franciſco & cæteris noſtris contubernalibus ſalutem dic: ipſumq; imprimis hortare, vt ad me & crebrò & copiosè ſcribat. Si res meas conſtitutas haberem, ſtatuerem quid agendum mihi eſſet, quod pertinet ad eum & ad cæteros. Adhuc nihil habeo niſi verba, quibus in Septimum vſq; annum iam ſum productus. Sed hæc Deus viderit. Tu mi Paule vale, & nos amanter expecta. Parmæ, XV. Cal. Iulij, M.D.XLIII.

---

XI.

*IAC. SADOLET. S.R.E. CARDIN. PAVlo Sadoleto, S.P.D.*

ACCEPI nudiuſquartus tuas, & Ioan. Franciſci literas, ex quib. illam lætitiam primo aſpectu cepi, quod de vtriuſq; veſtrum valetudine quæ maximè optabam, ea mihi attulerunt. Quin etiam cumulus additus eſt, quòd in ſuis ſacris literis Ioan. Franciſcus de tua quadam egregia in ſe fouendo & ſubleuando cura ſic ſtudiosè loquitur, vt ſalutem ſuam prorſus tibi acceptam videatur referre. Reliqua quę ſcribis de Nicolao Peitellio noſtro, quod is mirificè tibi & in concionibus & in vita moribusq; ſatisfaciat, ea mihi iucundiſſima fuerunt: nec eū tamen tantopere abs te laudari miror: ſummam n. ego quoque cùm iſthic eſſem, in eo probitatem, ſummam modeſtiam, excellentem cū linguarum, tum optimarū artium ſcientiam eruditionemq; cognoui. Eius verò concionandi genere nihil arbitror fieri poſſe, nec ſententiarū pietate ſanctius, nec rerum ordine diſtinctius, nec oratione elegantius atque ſubtilius. Qui quòd tam egregiam nobis, ac tam fidelē operam apud ciues noſtros nauauerit, eis in recta & à maioribus noſtris tradita religione ac fide continendis, & dolis inſidiiſque hæreticorum hominū aperiendis, ac tanquam ſub aſpectum ponendis: dici non poteſt quantopere illi me in perpetuū hoc nomine obſtrictū eſſe intelligam. Ei te maximas volo meis verbis agere gratias: quas vti etiam referam maximè mihi curæ eſt: etſi hanc eius remunerandi rationem propter ſummam hominis abſtinentiam, de qua tu ſępe ad me ſcripſiſti, difficilem fore video: cū is nullum huiuſmodi ſpectari vnquam à ſe laborū ſuorū præmium pręſe ferat. Sed quo ille moderatior, hoc omni à nobis honore

nore & remuneratione eſt dignior. De tuo aduentu ad nos, quòd te paratum ad veniendum oſtendis, mihi valde gratum. Farneſius mihi certè confirmauit, ſe tibi ſucceſſorem hoc Septembri menſe omnino miſſurum eſſe: quapropter Octobri in viam dare te poteris. Equidem auidè te expecto, cùm propter alia multa, tum vt de committenda tibi Eccleſia ſummum conſilium capiamus. Ego enim Paule iam nec honores, nec diuitias, nec vllum ſtatum vitæ in quo ſplendor ſit aut dignitas, ſed tantum quietem, & ſilẽtium, & otium his meis extremis annis peto. Quod non poſſum quidem adipiſci impræſentia, ob ea impedimenta quæ tu noſti. Veruntamen non abſum longè ab hac ſpe, conſultum aliquando fore rationib. meis, quæ ad hoc genus vitæ cunctæ reſpiciunt: qua de re tota, cũ veneris, deliberabimus. Etſi id quoq; mihi eſt concedendum, vt frui aliquãdo tuo optato aſpectu, & mei animi ſenſus mihi conferre tecum liceat. Quam communicationem noſtram ſermonum & voluntatum, tibi quoque olim ſolitam videri iucundiſſimam recordor. Quòd quæris, vtrum malim per Fortiam an per Olgiatum accipere hic ex permutatione pecunias: iam te puto intellexiſſe ex literis Florebelli noſtri, conditionem Olgiati mihi eſſe potiorem, quòd neque intertrimentum vllum cum eo ſit, & annuos anticipare aliquantum antè eſt poteſtas: cuius nũc commoditatis non prętermittendę longè opportuniſſimũ tempus eſt, cùm annuum penu totum ſimul eſt congerendum. Itaque tenendus quidem eſt Fortia, ſed tamen quoad licebit hac liberalitate Olgiati vtemur. Hactenus heri ſcripſeram. Hodie ad me fuit Olgiatus, dixit ſe habere literas à ſocijs ſuis Pantiaticis Lugduno, V. Cal. Iunij datas, quib. illi eum faciunt certiorem, ſe nummũ adhuc nullum de quadringentis accepiſſe. Porrò biduo pòſt Cobonem futurum eſſe Lugduni, hoc eſt ad tertium Cal. Iunij: ad quem diem ſi nihil eſſet ſolutũ, ſocios non parum detrimenti eſſe facturos. Sanè dolui, non tam rem meam quàm fidem in diſcrimen vocari. Nam quod iacturæ hi facient, ſi modò quicquam facient, ęquum id quidem eſt reſarciri per nos. Quòd verò conductor vectigalium noſtrorum fidem meis literis non habuerit: fuerit que veritus, ne fortè ego bis eandem pecuniam acciperem, & hic, & illic, ſi vſque ſit integritati meæ diffidere, id ſanè mirũ mihi accidit, quòd is me, quem optimè noſſe debeat, nõ ex proprio quodam meo genere, ſed ex communi & quotidiana horum hominũ qui hodie ſunt, conditione exiſtimet. At ego tibi dico etiam atq; etiam me non cũ Fortia, ſed cũ Olgiato pecunias ſemper permutaturum, quoad ſcilicet licitum erit. Quamobrem ſi ad diem dictam pecunia non ſoluta eſt, ſaltem curato vt ſciamus quid factũ ſit iacturæ, vt ſatisfacere ſociis poſſimus: quando fides mihi quidem quam vita, nedum quam pecunia longè eſt carior. De locis ſacris

ſacris violatis, quòd perperam fuerit huc ſcriptum, gaudeo tem vt ſcribis ita eſſe: fugio enim contentiones. Sed eo tamen animo ſum, vt temeritati eorum, qui ad hæc audenda facilè adducuntur, nihil ſim vllo pacto conceſſurus. Factos Coſſ. optimos & iuſtiſſimos viros, quorum ſub tutela & cuſtodia florebit ciuitas, ſummæ mihi & voluptati: & amo equidem omneis, ſed cum duobus Helia & Papio, ſcis magnum mihi vſum magnamque familiaritatem ſemper fuiſſe. Iis igitur tu plurimam meis verbis ſalutem. Nam quod de ſarto tecto diui Siffredi templo præſtando decreuerint, tu continuò ad me ſcribes. Honorati Ebredunenſis hoſpitis noſtri valetudinem magnæ tibi curæ fuiſſe, vehementer mihi gratum eſt, gaudeoque homini ſanitatem eſſe reſtitutam. Eum ego bonum ſemper virum cognoui, & amantem noſtri, & dignum cuius cauſa laborem libenter ſuſcipiamus. Omnino hæc humanitas, qua vtimur erga omnes, cùm laudanda per ſeſe eſt, tum cùm in bene meritos de nobis confertur, non ſolùm laudem habet, ſed mirificam etiam quandam animi voluptatem. Nec verò, cùm multa ſint mea, quæ tu expreſſa in tuis moribus refers, quicquam mihi accidere in te poteſt optabilius & gratius, quàm iſta benefica & liberalis erga notos ignotoſque, quam adhibes, voluntas. Prolegatum arbitror in hortis noſtris abs te bene fuiſſe acceptum: eius ego nuntium comiter hîc excepi, multaque dixi, quæ ad meam in illum declarandam beneuolentiam pertinebant. De te quidem ipſo ita cum eo actū eſt à me, & antea etiam à Florebello, vt ille in hanc totus opinionem diſceſſerit, ſe a te non mediocriter diligi. Annibalem quæſiſſe nouas nuptias non reprehendo, affinitatem probo. Doleo de Nicolao. Eorum vtrunque ſalutare meis verbis iubebis. Nunc, vt de me ipſo aliquid tibi ſcribam. Ego inuitus quidem in hac vrbe maneo, longè alieno loco à meis agendæ vitæ conſiliis. Sed tamen firmo animum ad perpetiendum, & ferendum, quoad offeratur mihi occaſio honeſtè hinc diſcedēdi, quam prætermiſſurus non ſum. Neque eò dico, quòd me quieti fiam ab hoc populo, & ab hac curia pœniteat. Sed nihil mihi iam dulce eſt, præter ſolitudinem & ſilentium. Itaque nec Carpentoracte, nec Felicianum, neque hortos iam quoſuis tam mihi propono, quàm locum aliquem ſolum vbiuis gentium, in quo mihi deponere omnes harum rerum & temporum curas & ſollicitudines liceat. Qua etiam de cauſa cupidius te requiro, quòd mihi non videor quicquam agere rectè ſine aſſenſu tuo, & ſine communicatione tecum omnium rerum poſſe. Ego hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribebam, habitabam in ædibus quæ adiunctæ ſunt templo Diui Petri cognomine ad vincula. Eę enim mihi cum titulo vnà obuenerunt: & eſt earum tamen proſpectus, quàm opportunitas, commodior: vnum enim tantùm ordinem cubiculo-

rum

rum habent, inter ſe peruium totum, tanquam longam lineam omni latitudine carentem: ſed hoc ineſt commodi, quòd in contignationibus quatuor, quibus domus in excelſum ſublata eſt, in medio duo ſunt ordines cubiculorum, alter alteri ſuperpoſitus. infimus locus culinis cellisque deſeruit: ſumma omnium eſt ambulatio longè lateque proſpiciens: frons ipſa ædium ad Septentriones conuerſa: itaque ſalubris locus exiſtimatur, & matutinis deambulationibus accommodus: habetque hoc præterea boni, quod vineæ noſtræ Quirinali propinquus eſt. Quæ quidem vinea etſi à me ſatis accuratè excolitur, te tamen, longè ſtudioſiorem quam me, & meliorem ſui cultorem expectat. Hæc ſcripſi dans operam purgationibus, non enim ſatis belle me habebam, & hoc ipſo die mane potionem acceperam. Hoc autem ſcribendi genere vſurus tecum ſum ſæpius, ſi per calores & valetudinem licuerit. Noſtri omnes in officio ſunt. Camillus noſter pudore, modeſtia, & pietate erga me, egregiè mihi ſatisfacit. Is te eximiè diligit, ac tuum aduentum auidè expectat. Sperat adoleſcentem magnæ nobis voluptati fore. Tu fac vt valeas, omnibusque amicis ſalutẽ nuncies, præcipueq́; Catharino noſtro, quem ego hominem facio quotidie pluris, magisque & magis diligo, quemadmodum nobis videntur ipſius optimi mores & virtutes eximiæ mereri. Iterum vale. Romæ, VI. Idus Iunij,

M.D.XLVI.

*FINIS.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN